

Schönberg:  
Pharos ad  
Themis. Do  
montum.

K 6  
1993



19,

M

C



19,

22

54

5.

*M.*

PHAROS  
 ad  
 THEMIDOS  
 MONTEM:

Quam

*(2 1/2)*

*Duce*

CHRISTIANO GUEINZIO J. U. C.

*respicit*

Gotthelff. Friederich à Schönberg  
 Nob. Misn.

III. NON. MAI  
 ANNI M. DC. XLIX.

*L.*

*Kb 1993*

HALÆ SAX.  
 Literis OEschlegeliana Vidua.




*73.*



INSTITUTION  
LIBRARY  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

1850  
1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860





De  
ABBREVIATIONIBUS  
JURECONSULTORUM  
COMMENTATIO.

**V**alerii Probi Grammatici est monitum: Est etiam circa perscribendas vel paucioribus literis notandas voces studium necessarium. Quia partim juvat τωχυτητα (1.) *Q*uia sive celeritatem scribendi. quippe celeritas tanta fuit, ut quamvis citata, exciperetur oratio celeritatem linguæ manus sequuta. Quid? prævenit secundum *Martial. lib. 14, 202.*

*Currant verba licet, manus est velocior illis;  
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.*

Et *Manilius lib. 4. de eodem:*

*Quiq; notis linguam superet, cursumq; loquentis*  
*Ausonius etiam ad suum Notarium epig. 136.*

*Tu sensa nostri pectoris  
Vix dicta, jam ceris tenes,  
Tu me loquentem prævenis.*

Ac ita celeriter comprehendebant dum ex communi consensu primis literis quædam notabant. unde & dicuntur Scripturæ compendia *Lipso*, furta verborum *Hieronym. de vitand. susp. contub.* Quia 2. ad bonorum autorum lectiones, dum in iis notæ occurrunt, conducit, ne falsâ allegatione & lectio- (2.)



ne textus vel corrumpantur, vel etiam eruditio prostitua-  
tur. De quo *Bembus in Ep lib. 5. Ep. 8. ad Papam*. Hinc est &  
illius *Valerij Probi Opusculum de lit. antiq.* Multa etiam legi  
possunt in tractatu *Gruteri de Notis, & Tullij Tironis Ciceronis  
Liberti, & Annaei Seneca*, uti & *apud Lipsium cent. 1. Epist. 27.  
ad Belgas*. Nec minima est pars Critices, istos autores uti  
nosse, ita etiam censere. Propterea animus est per quasdam  
theses quædam notare.

### THESIS I.

*Est autem nota signum rei sub certâ figurâ  
notata.*

*Nota* dicitur, quia notat; unde Notarius Glossæ dicitur  
ἄνωγος, velox scriptor, à fine; *Suida ἄνωγος*, exceptor,  
ab usu. Et *Augustin. de doctr. Christ.* ait: ex eo genere sunt Notæ, quas  
qui scribunt, Notarii appellantur. *Fulgentius 3. Mytholog. in Orpheo*  
Notariam vocat artem. Sic & in *Suetonio in Augusto c. 64.* rectè  
emendat *Lipsius* notare pro natare. *Signum* verò, quia significat, cum  
verba non perscribimus, sed signamus. *Rei* verò signum, quatenus  
& comprehendit dictionem; & vel facta vel facienda ex com-  
muni consensu, & usu publico, partim etiam ex voluntate propria.  
Autorem primum nominat *Lipsius Xenophontem*, ex *Diogene in huius  
vita*, ubi habet: primus excipiens notis dicta Socratis. *Isidorus Persan-  
nio* tribuit *lib. 1. c. 21.* quod tamen ipse potius Tironi Ciceronis ad-  
scribit, uti & *Plutarchus in Catone Uticensi*, & *Eusebius in Chron.*  
*Picus Mirandula* notas privatas sibi confecerat: & unusquisque  
signa certa habet, quibus peculiariora quædam observat, *vid. Bonnus  
de ratione discendi c. 7. post Lipsium.*

### TH. II.

*Sunt autem notæ illæ vel communes, vel propriæ.*

Uti videre est ex dictis; & patet ex *Isidoro*, qui notas Criticas  
explicat in Græcis & Latinis literis. Nostri autem propositi est de Ju-  
ridicis aliquid monere. Quæ factæ vel per literas, ut cum una hoc aut  
illud verbi notat, ut P. Publium, item pupillum & inversa, q. pupil-  
lam; vel per signa plerisque notandis verbis, quum tempore *Seneca*  
fuerint.

Propositio.

fuerint ad quinque millia. Unde Notæ non sunt literæ, ait *Pedius* l. 6. §. 2. ff. de honorũ possess. Puncta vocat *Anson*, epig. 136. dum inquit: punctis peracta singulis ut una vox absolvitur;

ubi singulis punctis denotatur id quod *Justinianus* §. 22. in *Cod. de Veterum jure enucle. habet* de Notis, quibus vetuit jus scribi in scripturâ, sigla s. σιγγλας appellant, & § 22. de *Confir. ff.*

TH. III.

Et quidem Juris notæ illæ vel in libris allegandis, vel in formulis usurpandis usitatæ.

TH. IV.

Quoad libros, sunt vel Juris universalis, vel particularis. Universalis est vel Civilis, vel Canonici.

Quia ratione objecti ita distinguuntur & notæ, cum Jus aliud sit, quod est omnium, & aliud est, quod singulorum, rectè etiam in Jus Universale & Particulate dispescitur. Illud universale verò aliud Civile, aliud Canonicum, uti constat ex *Novella 6.* ubi dicitur: Duo sunt dona Dei, à suprema donata clementia, Sacerdotium & Imperium, & ex *Dist. 3.* In principio, dum dicitur alia constitutio Civilis, alia Ecclesiastica.

TH. V.

Civilis Juris notæ alia est universalis. Est q̄, tum Paragraphus; tum Lex.

Quia in omnibus libris Juris Civilis usurpatur: nam quod nominat Theologus versum, Philosophus textum, Medicus sectionem, hoc Jctus paragraphum. Est autem paragraphus dictio Græca, uti & aliæ receptæ in Latinitatem, ut *eremus, abyssus.* Et propterea accuratiores quidam Jcti, inter quos etiam est *Alciatus*, opinantur rectius in genere feminino usurpari, quum subintelligatur τμήσις sive *ῥαμμῆ*, prout monet *Starckius de stylo* p. 46. & *Adamus Theodorus Sibirius in Rhetorica de Barbaris.* & *Solæcis*, p. 10, 6. Quia verò consuetudo Tyrannis, pleriq; in genere masculino usurpant. Consuetudini ergo videtur cedendum, *H. Stephanus de abusu Gr.* L, c. 1, p. 16. Et hoc modo

modo notatur §. Videtur autem nota orta ex imperitia Scribarum, qui, cum vellent Græcum π fingere, quæ est prima litera in hac voce, conjunxerunt, & hanc notam efformarunt.

Lex verò per l. allegatur, ut quæ ejus prima litera, addito numero secundùm recentiores, secundùm veteres initio legis.

TH. VI.

*Singularis est vel vetustioris, vel recentioris Juris.*

Æquè ea distinctio desumpta est ex proœmio *Instit.* §. 5. & in §. 1. C. de confirmando Codice.

TH. VII.

*Vetustioris Juris nota est vel brevioris, vel prolixioris.*

Argumento de ratione & methodo discendi & §. 2. I. de *Iustitia & Iure.*

TH. VIII.

*Brevioris Juris nota habetur in Institutionibus, quæ sunt Elementa Juris & legitimæ scientiæ incunabula, ex l. 2. §. 11. C. de Veter. Jure enuclean.*

Allegantur verò & notantur per majusculum I, interdum plene omittitur, & tantùm titulus notatur.

TH. IX.

*Sunt quæ quatuor libri institutionum.*

Et quidem in libro primo tituli 26. in libro 2. tituli 25. in libro 3. tituli 30. in libro 4. tituli 18. summam 99. Paragraphi 805. connumeratis principiis. *Stukius dis. 1. th. 2. generali. Evulgata A. C. 533. Calendis Januar.*

TH. X.

*Prolixioris Juris nota habetur tum in Digestis, tum in Codice.*

Qui enim imbuti primitiis, debent postea ad penitralia eorum intrare, uti habetur §. 11. C. de confirmatione Digestor. Digesta autem

notan-

notantur partim latinâ notâ per D. aut etiam dd. *Waltherus lib. 2. miscell. c. 4.* quia in illis responsa veterum prudentum digeruntur: vel notantur hoc signo ff. quod æquè videtur ortum ex Græco π, quæ est initialis litera vocis Pandectæ, & supra virgula notatur, ut agnosceretur nota, quemadmodum *Mysigerus in Commentar. super Institutiones* semper ita solet notare. Imperitia vero Scribarum æquè confudit, uti videre licet apud *Alciatû lib. 3. disputationum c. 17. Anton. par. 2. hist. tit. 12. c. 4. §. 1.* duplex ff. scribit, ut significetur sanctio sancta, sed præter necessitatem. *Cotta* quidem in memorabilibus sub verbo pandectas, opinatur literas istas geminatas notare factas fuisse, h. e. perfectas. *Accursius* autem ad §. igitur 4. ff. in Const. Instit. præfixa ad Fridericos hanc originem scriptionis referendam esse ait, sed nugatur. *Cujacius lib. 12. Observ. cap. ultimo* Notariorum hoc esse inventum scribit, proinde frustra hujus scriptionis rationem indagari. Sed prior sententia probabilior est, quia nec illa nota sine ratione. Vocatur etiam hoc opus Digestorum Codex §. ideoq; jubemus 12. in Const. de conceptione Digest.

TH. XI.

*Et dividantur Digesta vel inartificialiter, vel artificialiter.*

TH. XII.

*Inartificialiter in quinquaginta libros.*

Quia olim 100. erant in Juliano; Romani verò sunt brevitatis studiosi, uti patet ex præfatione in Digesta, *Giphan. in œcono.*

TH. XIII.

*Et in tria volumina in Vetus, Infortiatum & Novum.*

*Vetus* autem primum, dum *vetus* illud, quod præcedit, uti habetur in l. *Vetus* 11. ff. de tritico, vino & oleo legato. *Infortiatum* quod dicitur ita, quasi infarctum, ex *Novel. Leonis* 58. quia obtinet mediam partem, uti notat *Walter. in Miscellaneis l. 1. c. 5.* unde & ipse Imperator medium dicit in Const. *dedit nobis* §. 5. de Confirm. Digestorû, vel à forte, quia fortes habet leges, quæ agunt de successione & ita de Testamentis. Denique *Novum*, quia quòd ultimum est, novum

vum dicitur in *l. unica §. in novissimo C. de caducitate tollenda, & l. novissimè. ff. Judic. sol. l. novissimè ff. quod falso tutore & arg. dedit nobis §. 8. & Constit. Tanta circa nos §. eodem ff. de Confir. Digest.* Et quidem digestum verus est ab initio usq; ad lib. 24. ex quo & tituli duo priores: veteresque solebant viridi operculo notare s. vestire. Digestum infortiatum verò à Libro 24. usque ad 39. quod nigro tegebatur, quia inibi est de Testamentis, & ita de Morre; à libro 39. usque ad finem *Digestum Novum*, quod rubro, quia inibi est de pœnis. Videatur *Alciat. in proœm. lib. 1. disp. & lib. 4. parerg. c. 25. Bartol. in summa Rubricæ ff. soluto matrim. Dauth. in prologo. de success. testa. tit. de utilit. Ferrand. lib. 1. explic. c. 23. Coras lib. 1. epist. q. c. 22. Stukius in introd. fur. gen. par. 1. th. 3.*

TH. XIV.

*Artificialiter verò dividuntur Pandectæ in partes summarias, secundum edictum perpetuum; vel in plenarias, secundum processum.*

*Summarie partes sunt septem, quia edictum perpetuum totidem constat partibus, ad quod quum commentati sunt plerique Jurisperiti, ex eorum Commentariis, & secundum methodum illius edicti digesta sunt Digesta, ex l. 2. ff. de statu hominum. Vid. Giphanius in œconomia Juris. Non ex superstitione septenarii numeri, uti Duarenus in prologo. ad primam par. Digest. c. 3. opinatur.*

TH. XV.

*Et continent istæ partes vel principia prima.*

*Quæ ante iudicium in primis quatuor libris, qui vocatur *prœm*, tractantur, uti habetur l. 2. §. 2. Cod. de Vet. iure enucleando.*

TH. XVI.

*Vel principiata: Et sunt vel de actionibus civilibus, quæ continent vel judicialia, vel principalia, & sunt vel de realibus iudiciis.*

*Propterea dicitur pars de iudiciis, quia incipit à iudiciis, l. 2. §. C. de fur. Vet. enucleando à libro 5. usque ad 12.*

*Vel*

58  
TH. XVII.

*Vel de personalibus.*

Pars tertia rebus creditis & actionibus, à lib. 12. usque ad 20.  
Diciturq; de rebus §. 4. de Confirmatione Digest.

TH. XVIII.

*Accessoria est pars quarta de pignoribus, dotibus & tutelis.*

à lib. 20. usque ad 28. caretq; nomine, uti habetur l. 2. §. 5. C. de Veter. Iure enuclean. Vocatur aliàs umbilicus, quia medium in Pandectis obtinet locum, in constitu. Tanta circa nos §. 5. de Confirm. Digestorum.

TH. XIX.

*Extrajudicialia habent partim ultimas voluntates.*

à lib. 28. usque ad 37. & dicitur quintus articulus dicto loco.

TH. XX.

*Partim habet possessiones, interdicta & exceptiones.*

à 37. usque ad 45. Vocatur sexta pars §. 7. C. de V. Iure enucl.

TH. XXI.

*Vel de actionibus criminalibus seu poenis.*

à lib. 45. usque ad finem. Rationem hujus divisionis reddit ipse Iustinianus, ad cuius intellectum addi potest Macrobius lib. 2. in somnio Scipionis c. 6. Arumens Exercit. 7. thes. vid. Alciatus lib. 4. περὶ ἐργων c. 25. secundum versum:

Πρώτη. realia, judicia. & res credita, pignus.

Ultima deinde voluntas, hinc possessio, crimen.

Quomodo autem omnia cohæreant secundum processum, ostendit Wesenbecius in paratit. ff. de iureiur. p. 15. Tituli verò sunt in Digestis 440. & Leges 8145. Forst. jun. dis. 1. th. II. Variant interdum & conjunguntur quidam, quemadmodum videre licet in Parthenio Litigioso, cap. 7. n. 23. Contio in pref. ff. Harprech. numerat Titulos 432. Leges 9123. Eyulgara Digesta 533. 17. Calendis Januarii,

B

XXII.

TH. XXII.

*Sic fuerunt Digesta, sequitur Codex.*

Cujus nota majusculum C. ad differentiam minoris c, quod denotat vel canonem vel capitulum. Codex autem dictus quasi caudex ex quo antequam membranae & chartae usus fuisset inventus librorum tabulae confectae: vel quia cogit subditos *Stakius d. l. th. 4. & not' e. g. x. p.* ita appellatur: tum quod Leges in eo sunt comprehensae, non, ut in Digestis ex interpretum commentariis collectae, sed ex Imperatorum constitutionibus, quae interpretum doctrina multo sunt digniores; tum quod responsa Prudentium chartis & membranis; Constitutiones vero Principum codicibus & pugillaribus chartaceis, ligneis, aeneis vel eburneis solitae fuerint in scribi & in scriniis memoriae & dispositionis servari, uti notat *Cujacius in praefat. paratitl. C. praefixa. Godofredus ad Rubricam de novo C. faciendo & Vultejus in Prolegomenis.* Antea erant tres codices, Hermogenianus, Gregorianus, & Theodosianus *Azo sum. §. 1. de Justin. Cod. faciendo* qui cum essent partim redundantes, partim deminuti, tandem hic confectus, quem tamen & emendari curavit additis 50. novis decisionibus, & exemptis nonnullis constitutionibus, quae non exstant, *§. 6. de Attilian. tit. §. 7. l. de legit. agn. success.* unde appellatur repetitae praelectionis. Novae vero constitutiones *Const. cordi, §. 1. de emendand. cod.* cognoscuntur vel ex subscriptione, quae ad Johannem vel ad Iulianum *l. 10. 11. 12. C. qui testam. facere.* Vel quae habent Lampadio & Oreste consul. vel post consulatum Lampadii & Orest. *l. 49. C. de Episc. & Cler. Alciat. lib. 6. parerg. c. 54. Duaren. ad inscripto. Pand. c. 3.*

TH. XXIII.

*Et in Codice pars alia tractat ea, quae magistratum concernunt & jus publicum, & ea sunt vel sacra vel profana.*

TH. XXIV.

*Ista sunt quoad Res & quoad Personas in Lib. 1.*

TH. XXV.

*Alia Pars tractat Jus privatum.*

Et

Et quidem quoad singulos sunt civilia, lib. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & criminalia lib. 9. quoad universos sunt fiscalia 10. 11. 12. Sunt autem in Codice Tituli 804. Harprech, tantum numerat 664. Leges vero 4648. Ita ut ad summum Leges in Codice & digestis 13771. quemadmodum numerat Stuchius, part. 1. de Introd. Juridica Th. 4. n. 5. p. 5. & seqq. Evulgatus Codex 53. Calend. Dec.

TH. XXVI.

Sic fuit Jus vetustius, sequitur recentius: & est iterum vel generalius, vel specialius.

Quia quoddam est tantum certorum populorum, quoddam est omnium.

TH. XXVII.

Generalius, vel est approbatum, & vel in Corpore, vel in Recessibus imperii.

TH. XXVIII.

Quod in Corpore, est vel certi, & unius, vel plurimum autorum.

TH. XXIX.

Certi, ut Justiniani Novellæ.

Quarum numerantur 168. & allegantur per majus N. addito capitulo, si quod habet, per minusc. & S. Continetur autem collationibus novem, in quas à Latinis ita distributæ. Vocantur verò Novellæ à novitate, quia sunt novæ Constitutiones post Jus vetustius. Dum enim novæ indies controversiæ ex negotiorum varietate emergerent, nec earum decisio ex superioribus IUSTINIANI voluminibus satis commodè posset desumi, per Tribonianum Cancellarium suum novas Constitutiones evulgavit, uti etiam monet Harmenopulus in promptuario C. 1. tit. 1. §. 9. Vel etiam ideò dicuntur Novellæ, quia novissimæ post Codicem Iustiniani repetitæ prælectionis. Et sunt editæ, uti meminit ipse Imperator, N. 66. c. 1. §. 2. & in Const. de novo Codice faciendo, uti & Cujacius in principio Commentarii in N. probat, ad differentiam Epitomes Iuliani Patricij, qui Novellas in Compendiū contraxit, uti monet Wesenbec, in æcon. N.

B 2

in



*in princip.* Ex quibus etiam propterea in Codicem sunt relatæ *Authenticæ* illæ, quas antiquus *Glossator Irnerius* vel *Wernerus* ex illis summam excerptas in Codicem & plerunque legibus, quibus derogant, subiecit, semper tamen ad ipsos recurrendum, quia hallucinatus *Irnerius*, uti patet *ex authent. bona damnat. C. de bonis proscript. iand. N. 134. c. ult. Alter. Gentil. lib. 3. Lect. c. 11. Niell. disp. Feud. 2. eb. 5. lit. C.* Videndus est *Contius, Cujacius, Vultejus, Iacobus de bello visu in prefat. ad N.* & addatur etiam *Rittershusius super Novellas.*

TH. XXX.

*Tum sunt edicta tredecim Justiniani.*

Quæ allegantur per majus E. Interdum per integram vocem, quibus Sanctio Pragmatica & adscriptio de Colonis additur.

TH. XXXI.

*Vel sunt constitutiones Justiniquing, vel Tiberii totidem.*

Quæ partim in Novellas, partim in Codicem pro Authenticis sunt assumptæ, alleganturque per primas litteras.

TH. XXXII.

*Plurimum autorum jus est Pragmatica sanctio Justiniani constans capitulis 26. & constitutiones Justinii cum pragmatico Tiberii.*

TH. XXXIII.

*Non receptum Jus recentius est itidem vel unius, vel plurium: Unius ut Leonis 113.*

Et dicitur non receptum Jus, quia cum Leo esset imperator orientalis, nunquam eæ constitutiones receptæ sunt in occidentali Imperio, uti notat *Cujacius l. 17. Obser. 31. Goedd. de Contrah. Stipul. c. 6. conclus. n. 74. Forst. Jun. de pact. c. 6. & 8. Quin equidem Leonis. avo apud grecos.*

XXXIV.

*Vel sunt plurium, & sunt Imperatorum Miscellæ.*

*Ut Heraclii, Leonis, Iconomachi, Constantini numeranturque*

60  
turque 26. constitutiones, ab Imperatoribus quas *Enimundus*, *Bonafidius* collegit, & in librum primum de Iure Orientali retulit.

TH. XXXV.

*Specialius Jus in Corpore Juris contentum vel est commune, tum populorum ut sunt Feudales consuetudines.*

Quæ allegantur per majus F subjecto minusculo c. quod denotat capitulum. Et vulgariter continetur duobus libris: secundum vero *Cujacij* editionem & *Godofredi* in quinque.

TH. XXXVI.

*Et habet libros vel Authenticos, vel Apocryphos.*

Qui collecti sunt partim à *Gerhardo Nigro* in libro 1. Partim ab *Oberto de Orto*, tum in libro 2. qui continet consuetudines tantum tum in libro 3. ubi Consuetudines & decisiones simul. Reliqui libri sunt *Apocryphi* & non probati, vel quod à *Cujacio* vel quod à privato collecti.

TH. XXXVII.

*Tum est Constitutio Friderici I.*

Extravagantes cum libro de pace *Constantiæ* adduntur.

TH. XXXVIII.

*Hucusq; de jure Civili; sequitur jus Canonicum.*

Quod sortitum nomen est à canonibus, sumptâ metaphorâ ab architectis & agrimensuris, qui canonem vocant perpendicularem, ad quam opus amittant. Id jus retentum ex libertate & consensu Statuum ad Ecclesiæ gubernationem, casuum variorum decisionem & forenses processum, quotiescunque de cavendo peccato & causa conscientie agitur *Oldendorp. in conclus. tit. de ordin. Judic. n. 10. 11. Stephan. de 7ctione prefat. par. 1. & lib. 2. n. 18. Daub. de testam. in proleg. n. 8.*

TH. XXXIX.

*Dividitur autem Jus Canonicum in receptum, vel non receptum.*

B 3

Etre-

TH. XL.

*Et receptum vel in vetustius, vel in recentius.  
Vetustius continet vel Decretum Gratiani, vel De-  
cretales.*

Quia à Gratiano collectum, qui fuit frater Petri Lombardi Magistri sententiarum circa annum Christi 1151. imperante Conrado III. Tertius frater scripsit Historiam Ecclesiasticam; referturq; in historicis istos genitos ab adultera, & omnes tres fratres fuisse lumina mundi: ubi confessa est mater Sacerdoti, admonita fuit, ut pœnitentiam ageret, sed non posse respondit pœnitere, quia tantos genuisset viros præclaros, ut totus mundus gloriaretur de illis: Sacerdos verò respondens, dixit: Propterea pœnitentiam debes agere, quia non potes.

TH. XLI.

*Decretum est, quod ex Consiliis & Patribus  
desumptum.*

TH. XLII.

*Et est pars ejus alia communis in Distinctioni-  
bus & Causis.*

Continens distinctiones 101. in quibus generalia Iuris & de personis Ecclesiasticis, alleganturque adhibitâ litera D. Interdum planè omittitur, & tantùm minusculum c. cum principio, quod legitur canone; numerus sequens denotat distinctionem. Tum continet causas 36. in quibus per rationes dubitandi & decidendi res & judicialia proponuntur, solentque absque voce causa expresso tantùm numero & quæstione citari. In causa verò 33. tractatur de pœnitentia, unde solet etiam additâ voce de pœnitentia allegari.

TH. XLIII.

*Alia particularis de Consecratione.*

Continens actiones de jurisdictione & ministerio Ecclesiastico. Et cum potissimùm occupata sint talia circa consecrationem, de consecratione dicitur, habetque distinctiones quinque. Et solet allegari voce consecrationis subjectâ distinctione & canone,

*Tum*

TH. XLIV.

*Tum in canonibus Apostolicis.*

Quorum numerantur 84. De quibus consulendus est *Osiander in Historia Ecclesiastica, & Meyerus.*

TH. XLV.

*Tum sunt Decretales; quæ sunt vel Gregorii, vel Bonifacii.*

TH. XLVI.

*Gregorii continent & sacra & profana.*

Potissimum processum concernentia ex Bullis, Brevibus & rescriptis Pontificum, uti Codex habet rescripta Imperatorum. Solent etiam Gregoriana dici Decreta. Olim appellatus est liber extravaganantium priusquam à Gregorio I. & per *Regimundum* penitentiarium in unum librum digererentur. Unde allegari solent per vocem *extra* aut etiam per *X.* brevitatis causa, ad discrimen novarum Extravaganantium, uti habet *Frerottus in Paratitlis Decretalium*: obtinentque magnam vim in terris Imperii, tum propter processum luculenter ibi tractatum, tum quod in omnibus ferè judiciis jus hoc receptum, ut sine isto magna pars controversiarum dirimi non possit, quemadmodum habet *Cujacius in prefatione ad librum quartum Decretal.* Tum propter materias quasdam, præsertim spirituales, ut sunt *Matrimonium, Juramentum, Decima, Usucapio*, quæ luculentius tractantur: Non verò propter autoritatem Pontificis, vid. *Matthias Stephani de Jurisdictione L. 3. part. 1. cap. 3. num. 23. & Molinæus L. 6. C. de sacrosanctis Eccles.*

TH. XLVII.

*Earum Decretalium Pars alia communis, alia propria.*

*Communis de fine seu Iure tam divino quam humano, L. 1. Propria vel de forma Iudicii Lib. 2. Vel de materia quoad divina de iuribus Clericorum, L. 3. quoad humana, tum de sponsalibus, L. 4. tum de poenis, L. 5. inde versus:*

*Judex. Iudicium. Clerus. Sponsalia. Crimen.*

*Tum*

TH. XLVIII.

*Tum sunt Bonifacii Decretales.*

In quibus quoad numerum librorum & titulorum conveniunt cum Decretalibus Gregorii, & vocatur communiter *Sextus Decretalium*. Qui & ita allegari solet *in sexto* per numerum, ubi habetur etiam potissimum Titulus de Regulis Iuris, qui frequentius citari solet, ut *c. sine culpa 23. de Reg. Iur. in 6.*

TH. XLIX.

*Recentius Ius Canonicum ad modum Novellarum continetur partim in Clementinis, partim in Extravagantibus.*

TH. L.

*Clementinae prout Sextus decretalium, habet etiam totidem libros, nisi quod quartus unicum habeat capitulum & tit. 3.*

Allegantur additâ voce Clementina.

TH. LI.

*Extravagantes sunt vel Iohannis.*

Quæ Titulos continent 14. & ita simpliciter allegantur.

TH. LII.

*Vel sunt communes Extravagantes.*

Per libros quinque, ubi deficit quartus, quæ quando allegantur, habent verba *Extravag. Comm.* ad differentiam *Extravagantiæ Iohannis*.

TH. LIII.

*Non receptum Ius habetur in quatuor libris Institutionum Lancellotti, tum in Septimo Decretaliu.*

Quæ omnia simpliciter allegantur. Videatur *Cuchus*.

TH. LIV.

*Ius particulare tum est Ius Saxonicum.*

Quod

Quod dicitur vel *Weichbild* / vel *Landrechte* / ubi primæ syllabæ allegari consueverunt, Quod moribus primò introductum, postea per *Eccardum à Repkau* in tres libros latino sermone privato studio collectum; & tamen statim ad mandatum Saxonix Tetrarchæ Hojeri Comitis à *Falckenstein* in linguam Germanicam translatum & tandem à *Carolo Magno Imperatore* in arce *Thuringiæ Sachsenberg* confirmatum. Vid. *Hottomannus in proœmio Institut.*, *Speckhan in Synoptico discursu*, *Vultejus & alii*,

TH. LV.

*Tum est in Recesibus Imperij.*

Quæ allegantur per *Majus R.*, & *I.* vel Germanicè *Reichs Abschied.*

TH. VI.

*In formulis usurpandis sunt notæ singulares, quæ observari possunt apud autores.*

Sic s̄ supra notat ī infra. Tituli etiã primis tantùm literis, ut de *V. O.* verborum obligationibus; *R. N.* de ritu nuptiarum. De aliis formulis videndus *Barnabas Brissonius & Gruterus in Notis*, *Isidorus*, *Valerius probus.*



**C***eu Pharos in tenebris præluceat ut invia nautæ  
Evitent, ne vel naufraga navis eat;  
Sic & abyssus habet juris: Pharos adsit oportet,  
Ni velit æquoreis mergier omnis aquis.  
Est Pharos in montis tumulo, quò clarior exstet,  
Pulcri, quem montem spectat & ipsa  
Themis.*

C

Spes

*Spes generosa Patris, Generosi Sanguinis alter  
Flos, Schönbergiadum gloria, Juris amor:  
Te Leo magnanimus duplex, Te flava corona,  
Te scutum rubrum non nisi magna iubet.  
Respicis inde Pharon meritò, Themidosque sub-*

*inde,  
Montem, Pergas! Juris erisq; Pharos!*

optat

Christianus Gueinzius:

\* \* \* \* \*  
\* \* \* \* \*

**D**eymal zur Sommerzeit / da alle felder lachten /  
Das flügel- schuppen- volck in lufft und wasser  
wachten /

da alles rege war / die wälder breiten aus  
sehr jung- beäste arm. die blätter schlugen raus:

Grünt unser Musen-berg / weil alles zierlich stunde:]  
da mit bemühtem fleis sich Schönberg unterwunde

zu warten diesen berg / der schön begrünnet lag /

daß er auch fruchte trüg Er wünschte offte den tag.

Und da zum dritten mahl Titan den freys umgienge /  
sah man zu Halle gleich den ausgang solcher dinge:

denn dieser schöne berg bracht starck die knospen für /  
er grünte / blühte wohl in mancher blumen zier.

Fahrt weiter also fort O Schönberg / grünet / blühet

bey jenem Lindenwald / bis das man fruchte siehet:

thut höchsten fleis darzu / und wartet diesen berg /

der schön und lieblich ist / fahrt fort in solchem werck.

wie wünschet

Peter Ernst von Wolffersdorff.

**I**n Feuer kan nicht wol lang' unentdeckt liegen/  
 Es suchet immer lufft/es bleibet nicht verschwiegen/  
 Es zeigt seinen schein / bricht durch sich selbst  
 hervor/

Und stößet himmel-hoch die stoltze flamm' empor:  
 Ist immer ohne ruh: So auch wer hitze fühlet/  
 Und wahre Tugend liebt. wer nur nach dem zieleet  
 Was nach der Ehre reucht/ der bleibet nicht versteckt  
 In schnöder Eitelkeit/im Staube nicht bedeckt.

Da zeigen sich alsbald die Edele Bedancken/  
 Begehren Lob und Ruhm/sie reißen aus den schrancken  
 Wo sonst der Böfel krecht/und schwingen sich hinan/  
 Daß keiner/auch mit müh/ so bald nachfolgen kan.

Nun Schönberg weil Ihr auch itz solche hitz' empfindet  
 Die Euer Edles Hertz mit lobes-gier entzündet/  
 Und Euch was höher treibt / so zeigtet Ihr uns an  
 Wie man abkürzungs-wort' im Recht' entknüpfen kan

Im Rechte welches uns die Klüge Themis giebet/  
 Und was zu schreiben sonst der Weisen schaar geliebet  
 Die Pallas hat geseugt. Frisch auff! fahet ferner fort!  
 Reiset immer höher hin! Ihr wisset schon den ort /

Hin nach der Themis schloß/da wird der Tugend-amme  
 Die Ehre bey Euch seyn. Fahrt fort! seyd Eurem Stamme  
 Ein rechter schöner berg! Fahrt fort! so wirds ges  
 chehn

Daß man in kurtzer zeit Euch sieht bey andern stehn  
 Die schon auf jenem Berg da tugend wird belohnet/  
 Und wo die Themis selbst mit ihren Stenern wohnet.  
 Fahrt immer weiter fort! so kommet Ihr zur ruh/  
 Zu hoher Ehr' und Ruhm. Es wünschet glück dazu

Johann Kühnraht Krüger  
 von Rüneb.

Son-



## Sonnet.

**W**ISSE daß wir uns von hohen Ahnen  
schreiben /

Nicht daß wir nur starck trocken auf das geld /

Nicht daß wir nur viel pralen vor der welt /

Und grosse pracht in schönen kleidern treiben :

So dürffen wir um dieses gar nicht glauben

Daß jemand uns für hoch und Edel hält /

Wan nicht hierzu die Tugend sich gesellt /

Wir müssen ja wol / was wir seyn / verbleiben.

Sie ist allein die Fürstin aller Künste /

Die Pallas / so uns tausend gute gänste

Des glückes schenckt : Sie ist / so Adelheit

Noch edler macht / und pfeget uns zu gönnen


Unsterblichs lob. Wer Eure frömmigkeit

Der Schönberg / sieht / wird dis nicht leugnen können.

in eil schrieb es

Jan. Linse.

E N D E.



178 1993

ULB Halle  
006 793 07X

3




en.  
ife.

W







PHAROS  
ad  
THEMIDOS  
MONTEM:

Quam  
*Duce*  
CHRISTIANO GUEINZIO J.U.C.

respicit  
Gothelff, Friederich à Schönberg  
Nob. Misn.

III. NON. MAI  
ANNI M. DC. XLIX.

HALÆ SAX.  
Literis OEschlegeliana Vidua.



73.

16 1993

29,

22

54 5.

M

(2 1/2)